

EPISTOLA  
SACERDO-  
TALIS

In qua breviter proponuntur  
Occasiones nonnullæ, quæ Statui  
Sacerdotali valdè perniciosæ  
sunt,

*Cum opportunis super illas Considerationibus.*

Ad Reverendum, & Spectatæ Vir-  
tutis Virum D. N. N. Decanum,  
Parochum ad Istrum,

*A Familiari suo, ad plura obligato  
exarata.*



*Permissu Superiorum.*

Recusa AMBERGÆ, Anno

1670.

## Reverende Domine.

**C**onsideravi ea, qua inter nos familiariter subinde Colloquio actitata fuerunt: quid porrò non tam ex meâ, quàm aliorum, quos consului, mente, in toto hoc negotio sentiam, paucissimis aperio: rogans, ut ea accipere velit internos affectu consueto, hoc est, recto, & sincero. DEUS nos utrinque custodiat, & adjuvet, ut salvemus Animas nostras, & eorum, quorum districta à nobis ratio exigetur.





# EPISTOLA SACERDO- TALIS

*In quâ breviter proponun-  
tur Occasiones nonnullæ, quæ Sta-  
tui Sacerdotali valdè perni-  
ciosa sunt.*

**E**Xperientiâ utcunque manife-  
stum est, non omnes Sacerdo-  
tes officio suo sublimi, & verè  
magno satisfacere, sed illud,  
quod Habitu, & Verbo docere deberent,  
contrariis vitæ exemplis destruere; hoc  
nimirum agente malo Genio, ut vel ma-  
ximè illos jugo suo crudeli subiiciat, per  
quos etiam alij ad cælum ducendi erant,  
ut simul Pastores cum ovibus miserè per-  
eant.

Exploratâ itaque naturâ & indole singulorum, varias suggerit & obijcit illecebras, & plerumque ad capitalia quædam vitia impellit, unde dein ad alia incauti prolabantur. Operæ itaque pretium inane non erit, aliquantisper considerare secum radices illas malignas, quas in iisdem plantare & fovere pessimus Veterator an nititur, unde non minùs pestilent es fructus enascantur, ut malignitate hac sub obtutum positâ, hoc ipso citiùs, & magis innoxie rebus consulere suis pro viribus allaborent, secundum illud: Principiis obsta, &c.

### *Prima Radix.*

Videtur esse Acedia, & fastidium quoddam Rerum, uti vocare solemus, spiritualium, in quantum hæ necessariae sunt, & conducibiles, ad propriæ animæ suæ salutem, & bonum statum; monente sic Christo Domino: *Quærite in primis Regnũ Dei, & Iustitiam ejus, &c.* Certum quippe est, eum, qui ad Exercitia pietatis, Devotionis, & Orationis affectus

Atus non est, ad carnalia delabi, ut infra explicatiùs dicetur. Hinc etiam fit;

*I.* Ut rectâ ac solidâ Intentione Ministeria sua nec aggrediantur, nec prosequantur, sed turbatè & inordinatè in exterioribus hæreant, absque pleniore efficacîâ & fructu, quem per usum Ministeriorum suorũ ponere & proferre deberent.

*II.* Nullus apud hos sincerus & proficuus Zelus esse potest, Proximum juvandi in ijs, quæ ad salutem Animarum, & profectum in ijs spirituales spectant, sed sunt, ut Apostolus ait, *velut as sonans, & Cymbalum tinniens.*

*III.* Opera & labor ab his impenditur merè Mercenarius, magis propter bonam offam, quàm pro Dei honore, aut proximi salute, quærentibus videlicet, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.

### *Secunda Radix.*

**P**roxima, & propè principalis origo non optimæ vitæ in Sacerdotibus, est Gastrimargia, & Ebriositas, seu in cibo, & maximè potu immoderata Indulgentia,

tia, ac ventris ingluvies : Veneno hæc Radix plena est, ob pessimos fructus.

*I.* Per Ebrietatem fovetur rerum sacratorum neglectus, etiam illarum, ad quas ex officio tenentur. v. g. Horarum Canoniarum omissio, vel negligentissima persolutio.

*II.* Aliarum rerum Divinarum, & spiritualium fastidium vehementer augetur.

*III.* Hinc provenit Sacramentorum irreverens & lurida, ac non rarò etiam quoad substantialia, dubia, & utinam non invalida Administratio : non infrequenter ipsius sigilli Sacramentalis perniciosissima Violatio, in symposijs quæcunque in buccam veniunt, inconsideratè effuendo.

*IV.* Etiam hinc nulla efficacia manet, cum fructu aliquid agendi circa salutem aliorum ; cum tales à suis subditis, vel alijs passim contemnantur, illorum admonitiones, conciones, &c. nihili fiant ; mox enim audire debent ; Medice cura te ipsum.

*V.* Pro-

V. Proximus inde existit lapsus in abominanda carnis peccata, & vix nominanda scelera: experientia frequens hoc testatum reddit, ubi enim Bacchus dominatur, ibi saltat Venus.

VI. Scandala hinc oriuntur gravissima apud malè fundatos Catholicos, & Hæreticos; atque à Fide etiam Catholicâ alienationes, contemptus, cavilli, &c.

VII. Hinc clamoræ rixæ, sonoræ blasphemix, levissimæ scurrilitates, aliâque Sacerdotum dedecora.

VIII. Gravissimi Conscientiæ remorsus, præsertim instante morte, ob reditus Ecclesiasticos, & Christi patrimonium tam iniquè dissipatum, & dilapidatum.

### *Tertia Radix.*

**A**Lia origo malorum, & Divinæ Gloriæ grande impedimentum, est Impuritas Conscientiæ propriæ, quando nimirum eò temeritatis progreditur Vir Sacerdotio insignitus, ut non dubitans etiam, se esse in Statu Peccati Mortalis, si-

ne præviâ, ex animo factâ cum Deo suo reconciliatione, ad tremendum Missæ Sacrificium peragendum prorumpat. Quicumque ille est, qui sciens, & advertens in tali se statu esse, ad Sacrificium hoc tractandum accedere præsumit, planè sibi persuadeat, se & Cælo esse invisum, & proditore Judâ neutiquam hac in parte inferiorem. Sciens, inquam, & advertens, quòd *Judicium sibi hîc & nunc, manducet & bibat*, ideòq; *reum se constituat* (æternæ Veritatis hoc pronunciatum est per S. Apostolum suum) *& faciat corporis, & sanguinis Domini*. Quàm hoc grâde sit nefas, legat, si lubet, apud Interpretes, & absque pilorum surrectione hoc non faciet, si vel guttula erubescentiæ in eo adhuc fuerit. Et hinc fit insuper

I. Ut Auxilia divinæ gratiæ, sine quibus salus esse nequit, sibi ipsi intercludat, dum coram Auctore gratiæ, JESU Salvatore suo, cum tam fœdâ conscientîâ comparere audet, & Deum suum in fœdissimam cloacam (ut nonnemo sanctorum Virorum loquitur) cordis sui immittere non abhorret.

II. Itc-



*II.* Iterum ineptissimum se reddit, per quem Divina Majestas quidquam in salutem suæ, & concreditarum animarum, utiliter gerat.

*III.* Callum omnino obducit, ad quævis flagitia perpetranda paratior & proclivior redditur, & ad formidandam peccatorum suorum mensuram implendam plenis velis properat, quâ impletâ, quod vel per unicam superadditam indignam Sacrificationem fieri omnino potest, actum est de ejus salute.

*IV.* Optatissimum redditur Organum, per quod supremæ Majestati, ejusq; gloriæ, etiam per ferrum, & sanguinem promovendæ, Satanas illudat, istique longè majorem accessum & libertatem in se facit, in quem, sicut in Judam post buccellam (hanc tanquam indignè tractatam) ingreditur.

*V.* Hoc modo plurima peccata mortalia, eaque modo maximè diabolico, hoc est, ex deliberatâ & prævisa malitiâ perpetrat. Nec blandiatur sibi de contritione tunc priùs elicitâ, nam hæc non est res

tam facilis, ut præsertim ab homine repetitis identidem peccatis, & huc propellentibus Habitibus immerso, tam citò, tam plenè haberi possit, ut in momento coram Deo justificetur. Præsertim cùm in medio jaceat serium Ecclesiæ Præceptum, de præmittendâ actuali Confessione, ab eo, qui hæc SS. Mysteria propinquius conuenturus, peccati mortalis conscius sibi fuerit.

#### *Quarta Radix.*

**E**st prudentis Deúmque timentis Confessarij neglectus, quando nimirum etiam Sacerdotes refugiunt eos Confessarios, qui volunt, & possunt eos juvare: & quando vicissim tales quærunt, qui vel nequeunt ijs prodesse, ob doctrinæ, & spiritûs defectum, vel non audent eos propius attingere, in eodem luto, & cæno hærentes: unde fit, ut Mulus Mulum scabiat, & cæcus cæcum, vel saltem vehementer cæcutientem, per tenebras, & salebras ducat. Ingens hac in re momentum est positum. Deus homines ad salutem æternam per homines ducit; si ita talem

Ducem

Ducem nanciscaris, aut deligas, qui se depravatæ tuæ voluntati & libidini accommodet, eique morem gerat, nec delinquentem sæpiùs monere audeat, nec idonea remedia præscribere nòrit, versatur profectò salutis tuæ arduum illud negotium in summo periculo. Quid enim prodest tandem, formari super te crucem, & dici: *Absolvo te, &c.* si ex defectu opportunæ admonitionis, aut increpationis, aut remedij, post horam, vel etiam citiùs, in easdem sordes illicò illabaris? Et quo tandem sano modo juvabit te Confessarius ille, cum quo non pridem totas noctes & dies computationibus, aliisque studijs minùs decoris absumpsisti? qui iisdem, quibus tu, aut gravioribus morbis laboret? Hinc autem sequitur

*I.* Magna peccandi libertas, dum diabolus tibi occinit: quid tum? habes unum probum Confessarium, qui nullo alio duriore verbo dicto, mox te absolvit.

*II.* Excussio Timoris Divini, & sub spe facilis veniæ, reditus ad qualitercunq; projectum vomitum.

*III.* Augescit cæcitas mentis: unde iterum Dei, & divinorum nulla æstimatio, nullus honor, nulla reverentia, nullus cultus æstimabilis.

*IV.* Temeraria & imprudens, etiam in rebus aliis dispositio, sine consilio, sine ratione, absque omni merito, potiùs cum multiplicato demerito.

*V.* Scandalum aliorum nutritur, dum perspiciunt, posthabitis melioribus, minùs idoneos à te Confessarios eligi.

### *Quinta Radix.*

**E**st otium, decantatū malum, & pulvinar illud diaboli, non ut super hoc dormiat, sed ut in perniciem otiosorum solerter invigilet. Debet homo aliquid amare, debet habere aliquid, erga quod afficiatur: nisi itaque honesto & laudabili labore se occupet, hoc ipso ad inutilia, sæpiùs ad inhonesta & noxia delabitur. Et hinc fit:

*1.* Ut Tempus pretiosissimum, quo mereri felicem æternitatem deberemus, turpissimè elabatur, & partim stupidissi-

mâ somnolentiâ , partim alijs maximè impertinentibus studijs abliguriatur.

*II.* Ut dein ad ludricas confabulationes , sæpè scurriles , sæpè detractorias convertatur : vel præcisè temporis fallendi gratiâ , ad libros simili stylo , & cœno conscriptos se mancipet , vel ad aleas chartâsq; pictas miscendas , sæpè cum inæqualibus , multis horis confideat , tanquam ad fœcundum seminarium plurium aliorum malorum.

*III.* Talis etiam visu ad quævis conspicienda profilit , unde gravissimis sæpè scelerum irritamentis janua aperitur.

*IV.* Animus ab aliorum utili consideratione flaccescens ad corporis ( gliscente intus concupiscentiarum fomite ) delectabilia , & sordes se demittit , & stolidè immergit.

*V.* Denuò Rerum divinarum fastidium culpabiliter & perniciosè increfcit.

*VI.* Hinc etiam est valdè reprehensibilis cessatio & intermissio studij litterarum , tum pro concionibus utiliter com-

portandis, tum pro Directione in Confessionibus audiendis, & Casuum frequenter occurrentiũ solidã & securã resolutione, cum periculo gravium hac ex parte errorum.

### *Sexta Radix.*

**F**amiliarior cum fœmineo sexu, & liberior conversatio. Quanta hinc, & quàm nullis inferorum, quantumvis æternùm duraturis flammis extinguibilia scandala oriantur, & propagentur, nemo ignorat. Et quod planè dolendum est, etiam ex Philosophorum sententiã, Homo nunquam minùs est Homo, hoc est, nunquam minùs convenienter humanæ rationi agit, quàm cùm æstu libidinis ad actus illicitè in has se fordes conijcit, ubi instar equi, & muli, planè bestialis, & ipsis bestijs abominabilior efficitur. Et certum est, pessimos præcedentium Radicũ fructus plerosque omnes, vel maximè ex hac sentinã protuberare, & validissimè roborari, ut per eas discurrenti manifestissimum erit. Juvabit tamen, aliquas libidinosi

nos affectûs pessimè moratas filias ex Angelico Doctore adducere, cujus indubitatum pronunciatum est, superiores animi vires, Rationē & Voluntatem, per nullum vitium, quàm per hoc, deordinari magis, & conspurcari. Hinc

*I.* Roboratur Cæcitas mentis, dum falsò apprehenditur objectum libidinis esse tale bonum, in quod effundere se debeat.

*II.* Provenit hinc Inconsideratio & Præcipitatio, dum absque recto consilio animus impetu in libidinem propellitur.

*III.* Inconstantia : licèt enim videat subinde meliora probétque, nihilominus deteriora hac in parte sequitur.

*IV.* Odium DEI, in quantum iste contra carnis gustum, talia inordinatè delectabilia, sub interminatione summæ Infelicitatis prohibet.

*V.* Tandem est desperatio æternæ salutis, nec erigere se ampliùs ad spiritua-  
lia potest, aut vult, sed illa fastidit, lutulentæ huic delectationi immerfus.

*Septima Radix.*

**N**on infrequenter est nimis abjecta familiaritas, vel cum suis subditis, secundum illud, qui se furfuri commiscet, eum porci deuorant: vel cum quibusdam maioris Tituli Dominis, quorum fauores & quadras aucupantur, ideò cum & coram his & illis valde scurriliter (in publicis popinis, Conorum & Chorearum theatris) & ut ita dicam histrionicè agunt, immemores gravitatis & dignitatis clericalis, cum manifestâ statûs Ecclesiastici vilipensione & contemptu. Proveniunt non modica incommoda:

*I.* Etiam hinc Sacramenti Pœnitentiæ ususfructus propè omnis inciditur, dum talibus suis Parochis, nimis sibi notis, & ita abjectè familiaribus confiteri refugiunt, vel certè sine emolumento omni hoc faciunt, non rarò etiam sacrilegè.

*II.* Nulla manet efficacia in Concionibus, nam ita lepidi, & jocularij Domini Joannes potiùs ridentur, quàm ut eorum doctrinæ animus seriò adhibeatur.

*III.* Plu-



*III.* Plurima aliorum scandala, ob-  
trectationes, jurgia, etiam usque ad ma-  
num sacrilegas confertiones, Jurium  
Ecclesiasticorum dispendia, & oppres-  
siones.

*Octava Radix.*

**A** Pud quosdam est Avaritia quædam,  
& rerum temporalium, opesque aut  
pinguiori Præbendæ inhiandi nimium  
& inordinatum studium *Nemo* ( multò  
minùs cordatus Sacerdos ) *potest DEO*  
*rectè servire, & simul Mammonæ.* Et per  
se notum est, & divino Oraculo compro-  
batum, quòd *qui divites fieri velint, inci-*  
*dant in laqueos Diaboli.*

*I.* Est, quòd in cultu divino pro di-  
gnitate publicè exhibendo sint luridissi-  
mi; nam ob sorditiem suam, & animum  
divitiarum spinis obseptum, nihil ad or-  
natum templi sui, & Ecclesiæ ( unde ta-  
men vivunt ) vel Altaris sui, vel sacrarum  
vestium spectans, de suo curant: sub-  
sternunt profectò sordidiora linteamina  
Christo JESU, quàm ipsi in suâ mensâ  
domi paterentur.

*II.* Augetur hinc Parochianorum Averſio, qui avarum Sacerdotem exolum habent: quid ergò boni apud eos in animarum negotio efficietur?

*III.* Etiam hinc erumpunt grandes Impatientiæ, Rixæ, Contentiones, sæpè vix proteruntio, Blaſphemix, immanes Execrationes, Injuſtitix, media augendi rem ſcandalofa, etiam SS. Canonibus contraria.

*IV.* Hinc iterum Dei, & divinorum oblivio, ubi enim *Theſaurus tuus, ibi cor tuum.*

*V.* Hinc meriti ſupernaturalis plena perditio, tales quippe longè magis propter pinguem Præbendam, quàm ob animarum lucrum, aut Divinitatis honorem, & amorem Eccleſiæ deſerviunt.

### *Nona Radix.*

**A** Pud quosdam eſt Ambitio & Superbia, dum ad dignitatem aliquam Eccleſiaſticam quomodocunque promoti, alios deſpiciunt, ijs ſe clàm & palàm præferunt, ab omni humanitatis officio exclu-

excludunt; vel certè vijs quibus possunt, ad honorata beneficia, ad honorum sonantes Titulos ambitiosè adspirant, utinam non etiam Simoniacè. Quid hinc fit?

*I.* Pleraque hætenus recensita dedecora & incommoda sibi accersunt; nam Deus superbis resistit. Quid ergò utiliter pro Deo, pro suâ & aliorum salute agent, si Deum sibi contrarium habent?

*II.* Charitati proximi (sine quâ etiam salus æterna obtineri non potest) plurimùm incommodant, & invidiâ intumescunt, & contabescunt contra eos, quos obstare sibi somniant; & mirâ Impatientiâ exardescunt adversus eos, quos studijs **his** suis minùs obsecundantes existimant.

*III.* Vermem Conscientiæ alunt, saltem in fine vitæ protervè se erecturum, cùm sæpè benè gnari sint, aut esse possint, se nec à scientiâ, nec ab alijs satis instructos esse, & idoneos pro officijs, ad quæ anhelant.

*IV.* Redditur hinc illis exosa con-  
ver-

versatio cum Viris Religiosis, Deum sincerè spectantibus, à quibus saniora acceptare consilia, Dedecus suum esse putant; saltem ex animi radicato tumore, & invidentiâ contemptui habent, ac fastidio.

V. Fit etiam hinc, ut nec subditis suis accessum ad hos permittere velint, præ-tendendo quidem Zelum tuendi Jura Canonica, & Ecclesiarũ suarum, suique, in quo se circumspiciunt, officij; reverà autem non rarò ex quâdam pertinaciâ sensûs sui, & ex impertinenti, ac à latentis Invidentiæ pullulante studio, hos supprimendi. Ineant tales accuratas rationes (semotâ paulisper obcæcante passione) cum conscientijs suis, & verissima hæc esse fateri tandem cogentur. Cestè multi prudentissimi Viri & veris honoribus dignissimi, hac in parte aliter locuti sunt & fecerunt.

Et hæc fermè videntur Radices & occasiones esse plurimorum dedecorum, quibus etiam Sacerdotes statum suum dehonestare possunt. Sed si ad altiorem Radicem deducantur, perveniemus ad duas præci-

præcipuas, nempe ad neglectum seu defectum Timoris Domini, & Amoris Dei, Si quis enim Deum timeat, & tanquam Inspectorum ac futurum Vindicem omnium actionum suarum frequentius animo & consilijs suis opponat: si accuratius expendat obligationes, & causas prægnantissimas, ob quas amare Deum, ejusdemque bonum, & Honorem promovere debeat, fieri adeò nõ potest, quin aliter suprà dicta æstimaturus sit, & constantius laboraturus, ut officio Christiani hominis, & multò amplius Viri Sacerdotis faciat satis. De his in compendio paucula subjungentur.

*Considerationes Timorem Domini spectantes.*

I. Ad inducendum salubrem DEI Timorem, qui veræ sapientiæ initium fit, multum prodesse potest, adductas hactenus Radices cum malignis suis fructibus attentius subinde rimari, secumque expendere, quid tandem sit illud, propter quod homo, factus ad Imaginem DEI,

voca-

vocatus cæli Incola, & Hæres Dei, crudelissimæ Cacodæmonis, jurati & capitalis hostis Dei, & sui, tyrannidi se subijciat, & pœnarum æternarum, plusquàm cogitari potest, atrocium, inevitabili periculo se se exponat; & alios insuper, etiam quorum cura ipsi strictissimè incumbit, planè immisericorditer, & impiè negligat, imò pessimo suo exemplo ad æternam perniciem violenter impellat?

*II.* Studiosius oculos reflectere ad ipsam Æternitatem, ad longam, dico, Æternitatem, nullis Annorum Centurijs, aut millionibus finiendam Æternitatem, quam irrefragabili lege latâ quivis necessario ingreditur, vel bonam, vel malam, & pessimam.

*III.* Examinare seipsum ad Judicij severi, & exacti strictissimam exactionem, in quo etiam commissorum sanguis de Parochorum manu requiretur.

*IV.* In memoriam reducenda vitæ humanæ nimia Brevitas, si cum Æternitate computetur, & nimia Incertitudo.

*V.* Admovenda infernalium Pœnalitatum

litatum nimia & intolerabilis afflictio, & Damnatorum vox hæc lamentabilis: O si daretur hora reconciliationis, aut saltem quietis! O si daretur guttula Aquæ, immani æstui mitigando!

*VI.* Diligentius Statum suum ad veræ Prudentiæ Regulas componere, & applicare. Exempli gratiâ:

*I.* Si moriendum jam hoc die esset (& certè fieri potest, & multis nihil minus cogitantibus ita factum est) quid vellem me fecisse? optabone tunc me Ebrietati, illicitis amoribus, &c. deditum fuisse? certè non. Quid ergò jam facio? cur illa desero? quod ut fecissem, totum mundum tunc daturus essem: sed eheu frustra & serò nimis!

*II.* Si alius, cujus salutem in tuto collocatam vellem, bonus amicus me interrogaret, quid ipsi super simili statu suo suaderem? Dicerémne prudenter, ut in tali vivendi modo pergeret? Cur ego ita improvidè pergam?

*III.* Si coram Christo Judice standum mihi esset (& erit certò) vellémne  
me

me familia sectatum fuisse? Cur non jam resipisco?

*IV.* Quid per totam Æternitatem optabo circa meam vitam? Cur non jam incipio procurare illud?

*V.* Quid judicat Diabolus de hac vitâ meâ? Si placet ipsi ( uti sine dubio placet) quàm stupidè desipio, quòd jurato, & plus quàm capitali hosti meo ulla in re placeam?

Has & similes Prudentiæ Regulas, seriò & sæpiùs, invocato etiam Auxilio divino, quis adhibeat, & certò experietur in se magnam mutationem, semper tamen ad Particularia sua descendendo. Nam bene dicit ille: O Æternitas, Æternitas, Æternitas! quem tuû consideratio non movet ad rectam vitam, is aut Fidem non habet, aut cerebrum & cor non habet.

### *Considerationes ad Amorem*

#### *DE Iallicientes.*

*I.* Seriò perpendere statûs Sacerdotalis Amplitudinem, & vocationis ad hunc digni-



dignitatem, quòd nempe præ alijs Sacerdos sit ab ipso Deo vocatus & electus, ut sit Instrumentũ Divinæ Majestatis, per quod Animas, pretio Sanguinis Filij DEI emptas, ad æternam DEI gloriam & laudem perducatur. Quòd sint vasa, & Canales, per quos Sanguis JESU Christi, ejusq; merita in aliorum animas deriventur, ijsq; re ipsa applicentur. Quòd sint Lux Mundi, quòd Sal terræ, &c. *Legatur homilia S. Gregorij in Evangelium, quod in festo ipsius legitur.*

*II.* Considerare obligationes, ob quas meritissimè tenemur DEO nostro servire, ejusque gloriam totis viribus promoveri: Nempe *I.* quòd ille ipse Deus infinitâ Potentiâ suâ Hominem te fecerit, æternorum bonorum, & veræ in Cælis Felicitatis capacem. *II.* Quòd ob hoc ipsum in hanc te Horam vivifico suo Influxu, & gubernatione protexerit, ac conservârit. *III.* Quòd pretioso Christi Sanguine te redemerit; divina ejus Exempla, ac doctrinam, & Catholicam Fidem tibi manifestârit, & ad hanc perduxerit. *IV.*

Quòd pluribus alijs Beneficijs particularibus te affecerit, ut quòd natus & educatus sis inter Catholicos : quòd Corporis bonam valetudinem & integritatem nactus sis : quòd ad studia sis applicatus, per quæ ad tam altum statum, nempe Sacerdotij, pertingere posses.

*III* Ad amorem excitare debet ipsum Missæ Sacrificium, & Dominici Corporis, ac Sanguinis actualis perceptio, eaque tam frequens : & gratiæ magnitudo, dignæ Sacramenti hujus communicationi respondens.

*IV*. Est ipsa Amabilitas divina, & Bonitas, quâ Deus, tantus Dominus, cum Homine, Creaturâ, infinito intervallo à Deo distante, Amicitiam & familiaritatem conjungere, & statuere cupit, eamque non inanem, sed quæ ad æternam felicitatem perducatur.

*V*. Hæc quæstio S. Augustini sæpius iteranda. *Quid demum causa est, cum homo omnia quæ ad ipsum spectant, velit habere Bona, & solam animam suam non velit habere Bonam? Emis calceos? vis habere bonos:*

*Emis*

*Emis pileum? vis habere pileum bonum: fieri curas caligas? cupis bonas: & sic de alijs. Et cur solam Animam non vis habere bonam? quid enim in te peccavit anima tua, ut eam velis habere malam? Et quæ res demum est tanta, quæ à tanto bono nos impediat?*

*Considerationes super Media  
quedam huc facientia.*

*I. Est constans cura, ut Christi Domini nostri Naturam, Indolem, penitus cognoscat. Item causas penetret, ob quas in hunc Mundum venerit, & hunc talem, & non alium vivendi modum elegerit, nempe in magnis doloribus, & Corporis incommoditatibus, in summa Paupertate, in extremâ suâ humiliatione, abjectione, contemptu: pro satisfactione nostrî loco representandâ, his opus non erat, sed multò maximè, ut his suis divinis exemplis à terrenis cupiditatibus nos abstraheret, tutam ad cælum perveniendi viam commonstraret.*

*II. Est diligens cultus gloriosæ Virginis MARIE, implorando sæpius & quotidie*

tidie per statæ devotionis exercitia, ejus Patrocinium, ejus Amorem quovis modo dilatando; hæc enim certò divinam lucem, & Christi, ac Cælitum Amorem impetrabit.

*III.* Boni, & rerum Spiritualium experti ducis, & Confessarij electio, de cujus necessitate suprâ dictum est. Quòd si pro loci conditione ordinariè talis haberi nequeat, saltem pro extraordinario talem assumere, ad quem post unum, vel alterum mensem recurrere, vel tandem per litteras confidenter cum illo conferre, super animæ tuæ statum & negotium possis.

*IV.* Omni modo laborare, ut sepositis alijs occupationibus, si non singulis annis, saltem aliquoties, per octo, aut sex dies in exercitiis spiritualibus teipsum consideres, & expolias: multiplici experientiâ constat, & testatissimum est, quàm res hæc sit proficua.

*V.* Confessionem Sacramentalem nunquam differre ultra octiduum, saltem non ultra duas hebdomadas: & in malo  
animæ

animæ statu nunquam præsumere, Sacrum facere.

*VI.* Accuratè se ad Sacrum disponere, animo priùs benè collecto, uti Majestas & dignitas tantæ rei postulat: & post Sacrum non illicò ad alia dilabi, sed cum tanto Hospite aliquantisper morari. Obvij sunt pij libelli, ad hanc rem conscripti, dummodò eorum usus non intepescat.

*VII.* In Eleëmofynis dandis, quantum facultates permittunt, liberalem se ostendere, ut sic alios habeat, qui pro ipso orent, &c.

*VIII.* Horas Canonicas tempore & loco idoneo, accuratè, cum debitâ coram DEO attentione persolvere.

*IX.* Examen Conscientiæ unicè sibi commendatum habere: & ante cubitum interrogationem hanc non obiter præmittere: Vellémne vel auderem in hoc statu jam mori, vel coram Christo Judice comparere? & tunc actum Contritionis serium exercere.

*X.* Dividere totius diei horas, ut

quantum fieri potest, omnia ad officii sui statum spectantia, suis temporibus, cum sincerâ ad Deum Intentione fiant.

*XI.* Lektionem Spiritualem ex libello sibi accommodato, nullo die omninò intermittere : non tam pro Concionibus, quàm privatâ vitâ ijs attemperandâ.

*XII.* Singulis Septimanis per horæ spatium circiter, vitæ suæ statû confideratiùs inspicere, an omninò sit talis, qualis ex vi obligationum suarum esse deberet : & quæ demùm impedimenta sint melioris Vitæ : & pro his tollendis salubria media inquirere.

*XIII.* Magnam abominationem & odium grande concipere contra peccatum mortale quodvis, tanquam contra rem Deo summè injuriosam, sibi & toti mundo perniciosissimam, & ejus abominationem sæpè alijs, qui ad ipsum spectant, declarare.

*XIV.* Præ omnibus vitare consortium eorum, qui peccandi potiùs, quàm boni aliquid faciendi occasionẽ dare solent ; Item scëminarum, & scurrilitates  
quas-

quasvis. Secundùm illud S. Augustini :  
*Nuga in ore Sacerdotis sunt Blasphemia,*  
 saltem dispositivè.

*Adverte subinde etiam ad  
 has sententias.*

**S. Chrysoſtomus Homilia 3.**  
 in Act. Apost.

*Non puto, inter Sacerdotes multos esse,  
 qui salvi fiant, sed multò plures, qui pereant :  
 res enim hæc excelsum animum requirit.*

*Tot tantæq; sunt Pastorum Obligatio-  
 nes, ut qui vel tertiam earum partem re ipsâ  
 impletet, Sanctus ab hominibus æstimaretur,  
 cùm tamen eo solo contentus, gehennam non  
 sit evasurus. Joannes Avila Sacerdos il-  
 luminatissimus, quem à Sanctitate &  
 Concionandi efficacîâ celebrat Hispania.*

**S. Anselmus in Meditat.**

*O durus, & durior Casus ! heu perdidit  
 Sacerdos Beatitudinem, ad quam factus est,  
 & invenit mortem, ad quam non est factus :  
 quod peccatis suis adscribat, necesse est.*

## S. Paulus ad Galatas 5.

*Opera autem Carnis sunt: Invidia, Homicidia, Ebrietates, Comestationes, &c. & prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum DEI non consequentur.*

## S. Basilius de Abdic. Sæculi.

*Multos ego animadverti sapè, qui cùm alterius cujusdam generis vitijs laborarent, ad sanitatem postea redierint: qui tamen gula vitio tenerentur, neminem ex omnibus vidi unquam, qui convalescerit: quod idem de libidino dici possit.*

## S. Augustinus, Epist. 28.

*Nihil est in hac Vitâ, & maxime hoc tempore, facilius & laetius, Episcopi, aut Presbyteri officio: sed nihil apud Deum inferius & tristius, & damnabilius, cùm eodem non probè funguntur, & alijs scandalo sunt.*

## S. Chrysostomus Homil. 83. in Matth.

*Quo non igitur oportet esse puriorem, tali fruente officio? quo solari radio non  
splen-*



*splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? Os, quod Spirituali igne repletur? Linguam, qua tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita, quali sis insignitus honore, quali mensâ fruaris? Quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem. Hac nos pascimur?*

*Cogita, quantum adversus Proditorem indignaris, & contra eos, qui illum crucifixerunt; itaque considera, ne tu quoque sis reus Corporis, & Sanguinis Christi: Illi sanctissimum Corpus occiderunt, tu autem pollutâ suscipis Animâ? post tot beneficia.*

**Quàm horrendum sit, sacrosanctum Missæ Sacrificium in peccato mortali offerre.**

*Ex Revelationibus B. Brigittæ lib. I. cap. 47, lib. 4. cap. 135. & lib. 6.*

*cap. 9.*

**Colloquium Christi cum Beata Brigitta.**

**I**lle Presbyter, pro quo tu oras, cum accedie  
B 5
ad

ad Altare, tunc avertō faciem meam ab eo, & adstant ad latera ejus demones, cujus & animam inhabitant, quia ipsa est mortua ante me.

Cum imponit sibi Superhumeralē, hoc est, Amictū, demones obumbrant animam ejus, ut non cogitet, & non intelligat, quā terrible est, accedere ad Altare meum, & quā mundus esse debet, qui mihi mundissimo adstare debet.

Cum induit se Albā, duritiā cordis, & indevotione induitur, quia cogitati, peccatū suum non esse grave, supplicium aeternum futurum non magnum, & quale gaudium est aeternum, nunquam venit in mentem ejus.

Cum cingit se Cingulo, tunc ligatur voluntas ejus cum diabolo, ita quod velit, & proponat morari in peccato, & tunc dissolvitur charitas mea ab eo, quia voluntas ejus est ad omne id, quod diabolus ei inspirat in mentem.

Cum imponit sibi Manipulum, omnia opera ad DEUM sibi fiunt gravia, & onerosa, terrena autem levia.

Cum

Cum imponit sibi Stulam, diabolus grave jugum imponit collo ejus, & sic onerat animam ejus, quod non sinit eum ingemiscere, vel considerare peccatum suum.

Cum induit se Casulâ, tunc perfidiâ induit eum diabolus; quando autem legit Confiteor, daemones respondent, mentitus es, nos sumus testes, quod Confessio ejus est similis Judæ, quia dicit aliud ore, & aliud habet in corde.

Quando verò consecrat Corpus meum, tunc fugiunt daemones ab eo, & corpus ejus remanet quasi truncus, quia anima ejus mortua est ante oculos meos.

Cum autem Corpus meum applicat ad os suum, ex presumptione illâ, omnis turba demonum revertitur ad eum, quia charitatem nullam ad me habet.

Ecce tales Sacerdotes, non sunt mei Sacerdotes, sed veri proditores, ipsi enim & me vendunt quasi Judas, & produnt. Ego conspicio Paganos, & Judæos, sed nullos video eis deteriores. Quia ipsi Sacerdotes sunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer,

*Maledictus sit cibus, & potus eorum, qui intrat in os eorum, & pascit corpus in cibum vermium, & animam in Infernum.*

*Maledictum sit ergo omne, quod de terrâ ad utilitatem suam receperint, quia non laudant Deum, & Creatorem suum.*

*Maledicti sint à Celo, & Terrâ, & ab omnibus creaturis insensatis, quia ipsæ obediunt DEO, & laudant, & isti spernunt,*

*Maledicta sit hora, qua incipit eis in Inferno, & nunquam finiet.*

*Maledicti sint anni eorum, quibus vixerint inutiliter.*

*Maledictus sit visus eorum, quia non videbit visionem DEI in me, sed tenebras, & pœnas Inferni.*

*Maledictus sit gustus eorum, quia non gustabunt de bonis meis æternis gaudiû, sed amaritudinem æternam.*

*Maledictus sit tactus eorum, quia non tractabunt me, sed ignem perpetuum.*

*Maledictus sit odoratus eorum, quia non odorabunt odorem illum suavissimum in Regno meo, excedentem omnia aromata; sed foetorem in Inferno habebunt, amariorum felle, & pejorem sulphure.*

*Male-*

*Maledictum sit Corpus eorum, quod resurget, in Inferno sine fine arsurum.*

*Propterea juro in veritate meâ, quia sum Veritas, quòd si sic moriuntur, sine fine damnabuntur. Væ talibus, quòd unquam nati fuerint: ipsi enim profundius cadunt in Infernum, quàm aliquis alius.*

**Sacerdoti indignè celebranti  
exhortatio.**

**H**ÆU miser Sacerdos, qui mortuus in Calo, vivis in inferno, atque diabolum habes in corde tuo, & ad sanctum accedis Altare, ad profanandum Sanctuarium DEI, & illudendū nomen sanctum suum; ore benedicis, & corde maledicis; in faciem benigni Salvatoris conspuis, dum verba Sacramenti immundo ore profers, & majestatem illam, in quam desiderant Angeli prospicere, & omnis Curia celestis exercitus incessabili voce proclamat, Sanctus, Sanctus, Sanctus, tu impiè irrides, ac blasphemias, quando corde siles, & ore velut canis latrans clamas: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur

anima mea: & ponis illam sanctissimam carnem in os tuum immundum, ex Spiritu sancto in utero Virginis immaculato conceptam, eam, quæ est mundi pretium, dentibus tuis venenatis mordes, devoras, & proijcis in sterquilinum animæ tuæ, quasi in lutum platearum. Non minus est detestabile, in os pollutum, quàm in lutum sepelire DEI Filium, Patrem tuum, Creatorem, & Redemptorem, pretium redemptionis nostræ. O Judæis peior, & Judæa deterior! horret Infernus & contremiscunt diaboli, cum tu temerè præsumis Corpus & Sanguinem Christi indignè manducare: & si non morieris post sacrilegæ assumptionem, ut Judas, vires pro majori supplicio, & graviori poenâ; & si non convertaris, thesaurizas tibi iram, in die iræ & revelationis justi judicij DEI, qui reddet unicuique secundum opera ejus; & tantò districtior erit in judicio, quanto tibi ante judicium majorem patientiam prorogavit.

Agnosce, frater charissime, Sacrosanctam Regalem dignitatem tuam, quali honore sis insignitus; quem Virgo, & Mater genuit, tu verbis concipis; & quali mensâ fruaris;

carne,

carne, & sanguine Domini nostri **JESU** Christi pastus es: ô felix exercitium, ô Sanctitudo manuum, ô lingua benedicta, ô pectus sacratum, ô venter beate! si hoc manè eâ puritate mentis & corporis, quâ decet, recipies Corpus Christi, eris altera Maria, cujus venter fuit paradisus **DEI**, & sacrarium Spiritus sancti.

## ORATIO.

**B**enignissime **JESU**, fons amoris, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui pro salute humani generis Corpus tuum Sacratissimum pignus futura gloria, nobis filiis & heredibus reliquisti, quod solâ fide cernitur, & corde firmiter creditur, communionem carnis & sanguinis tui, nos divinitatis esse participes voluisti; Te humiliter deprecor, ego cinis, pulvis, & nihil, antequàm accedam ad Altare tuum, quod est Cælum, & Paradisus, mihi concedere digneris tuam sanctam benedictionem, perfectam cordis contritionem, oris plenam confessionem, & operis completam satisfactionem, ut tuum sanctum Sacrificium, Immaculatam  
 Hosti-

*Hostiam cum lacrymis offerens, in sublimi Altari tuo, nive candidior, liliôq, purior dignè recipere valeam, in remissionem peccatorum meorum, omniumq, vivorum, in refrigerium mortuorum, in gaudium Sanctorum, letitiam Angelorum, & in totius Trinitatis gloriam sempiternam, Amen.*

### Axiomata notatu digniora.

*I. Animam habemus unam, qua si semel perierit, aliã substituere non possumus.*

*II. Morte moriemur unicã, certissimã; modo, & horã incertissimã: si mors hæc mala fuerit, actum est.*

*III. Judicem habemus unicum, coram quo si causã cadamus, appellare ad alium non possumus.*

*IV. Cælum speramus unicum, à quo si exclusi fuerimus (& arcta est Janua) Infernus certò nos manet.*

*V. Aeternitas sequitur unica; qua si non fuerit felix, per infinita secula infelicissimi erimus.*

*VI. Sententiam audiemus unicam: si non hanc: Venite Benedicti. necessario illam: Ite Maledicti,*

*VII.*



VII. Deum habemus unicum, cui si non servimus, hoc ipso Diaboli mancipia effici-  
mur.

VIII. JESUM Salvatorem habemus unicum, quem si vocantem non audiamus, Ipse in Interitu nostro flebiliter ridebit.

## NOMINA & ENCOMIA CLERICORUM.

*Ex SS. Scripturâ & SS. Patribus.*

**D**icuntur quodammodò Dij; Dijs non detrahes, *Exod. 22.*

Angeli; Angelus Domini exercituum est, *Malach. 2.*

Reges; constituti super Gentes & Regna, *Jerem. 1.*

Constituti Principes super omnem terram, *Psal. 45.*

Duces domûs Israel, *Michae 3.*

Custodes super muros Jerusalem, *Isa. 62.*

Medici Animarum, *Jerem. 8.*

Ministri DEI, *Joel. 3.*

Amici Dei nimis honorati, *Psal. 138.*

*Ex novo Testamento.*Lux mundi, *Matth. 5.*Sal terræ, *ibid.*Vincæ Dei Cultores, *Matth. 21.*Præcones Evangelij totius mundi,  
*Marc. 16.*Pastores ovium, *Joann. 21.*Ministri Christi, *1. Corinth. 4.*Dispensatores Myſteriorum DEI, *ibid.*Regale Sacerdotium, *1. Petri 2.*Gens ſancta, Genus electum, *ibid.*Conſervi & Socij Angelorum, *Apoc. 19.**Ex Concilio Tridentino.*

Christi Vicarij &amp; Miniſtri.

Columnæ fidei Chriſtianaæ.

Civitates in monte poſitæ.

Baculi claudorum.

Duces cæcorum,

Ignorantium Magiſtri.

Templi Baſes.

Religionis Fulcra.

Conſiliarij Epiſcoporum.

*In Catechismo Romano ex S. Anselmo**& S. Hieronymo dicuntur*

Ecclesiæ Dei Apostoli,

Patrisfamilix Vinitores,

Speculatores Jerusalem.

Apes melliferæ per aëra volantes,

Clypei Turris Davidicæ.

Vinxæ DEI sepimentum.

Sponsæ divinæ Oculi.

Custodes Lectuli Salomonis;

Parœciarum Rectores.

Christianismi Nobilitas,

Ecclesiæ Senatus.

Præsulum Oculi,

Virtutum Prototypa,

*Apud Theodoretum.*

DEI Coadjutores.

Divinæ voluntatis Interpretes,

Divinæ vocis Organa,

Divinæ potentix Instrumenta.

Regni DEI Ministri.

Judiciorum Dei Ministri.

Regiæ Domûs Dispensatores.

Pietatis Doctores.

Popu-

Populorum Gubernatores,  
 Perfectionis Specula,  
 Mundi Philosophi.  
 Angelorum Condiscipuli.  
 Animarum Pædagogi.  
 Operarij mæssis sacræ,  
 Patroni Fidelium.

*Teste sancto Dionysio, & S. Prospero,  
 Sacerdotes merito vocantur*

Medici morborum Animæ.  
 Magistri scientiæ DEI.  
 Improborum Terror.  
 Peccantium, apud DEUM Patroni.  
 Inter Deum & homines, Mediatores,  
 Milites Spirituales.  
 Expositores Latentium Mysteriorum.

*Apud S. Augustinum, & S. Grego-  
 rium Magnum, nominantur  
 Sacerdotes*

Spiritûs sancti Oracula.  
 Prophetarum Filii.  
 Os DEI.  
 Animarum Parentes.  
 Hæresum Flagella & Mallei.

Flagitiorum populi, Spongiæ.

Pravæ doctrinæ Adversarij.

Controversiarum incidentium Diremptores.

Rerum cælestium Prædicatores;

Agminis Christi Pugnatores.

Invisibilium Præliorum Phalanges primæ.

*A S. Joanne Chrysofomo, Ore aureo,  
dicuntur Sacerdotes*

Commiffarij Cælestes.

Veritatis divinæ Tubicines.

Clavicularij Regni cælestis:

Vitæ Lumina.

Confessionum Auditores.

Conscientiæ à Secretis.

*In S. Prosper. libro 2. de vita contemptu.  
ptu. c. 1. appellantur*

Ecclesiæ Ornamentum & splendor:

Lapides pretiosi, in fundamento positi.

Nuntij, ad cælestes nuptias invitantes.

Oeconomi Regiæ Domûs.

Aulæ supremi Regis, Præfecti.

*Apud*

*Apud Caesarium sunt*

Cælorum Filij.

Civitatis æternæ Janua.

Invitantes ad Regnum cælestē.

Arbores scientiæ.

Lampades accensæ.

Magnæ Legis, & Vitæ immortalis Do-  
ctores.*Antonius Molina Instruct. Sacerd.*  
*cap. 16. inquit :*

In tali statu homines non sunt.

Plùs quàm Archangeli &amp; Seraphini.

Cum Sacratissimâ Deiparâ comparantur.

DEI Filij &amp; appellantur, &amp; sunt.

Quilibet tanquam Christus est, & D E U S  
in terrâ.Quòd Christus tantum illis exhibuerit  
honorem & reverentiam, ut non  
duntaxat à Cubiculis, sed etiam à  
Mensâ elegerit, & velut intimis Ami-  
cis, pectoris sui Secreta revelârit.

## INCERTI AUTHORIS

*Epitome Sacerdotalis vitæ exigit,  
ut sint Sacerdotes*

Christi Alumni.

A Peccatis Segregati.

Rectores, non Raptores.

Speculatores, non Spiculatores.

Dispensatores, non dissipatores.

Pastores, non Pistoros.

Pij in Judicio.

Justi in Consilio.

Devoti, seduli & frequentes in Ecclesiâ,

Sobrij in mensâ.

Prudentes in Lætitiâ.

Puri in Conscientiâ.

Castitate & vitæ integritate conspicui,

Affidui in Oratione.

Humiles in Congregatione.

Patientes in adversitate.

Modesti in prosperitate.

Divites in virtutibus,

Sancti in conversatione.

Sapientes in sermone.

Veraces in prædicatione.

Exemplaria virtutum.

Potentes in opere & sermone.

*Feci tibi nomen grande, juxta nomen  
Magnorum, qui sunt in terrâ. 2. Reg. 7.*

## ORATIO

S. Gregorii M. à Pastoribus  
quotidie dicenda,

**D**EUS, qui nos Pastores in populo appella-  
ri voluisti, presta quesumus, ut quod  
humano ore dicimur, in tuis oculis esse me-  
reamur.

*Adjuvet nos gratia tua, Omnipotens  
DEUS, ut qui officium Sacerdotale susce-  
pimus, dignè ac devotè tibi in omni puritate  
& conscientia bonâ famulari valeamus. Et  
si non possumus in tantâ innocentia vite con-  
versari, ut debemus, concede nobis tamen  
dignè flere mala, quæ gessimus, & in Spiritu  
contrito humilitatis, vera compunctionis, ac  
bonæ voluntatis proposito, tibi ferventiùs de  
cetero deservire. Thomas de  
Kempis.*

*Ad majorem DEI gloriam.*